

cum tempus misericordiae est, audiant eum. Ubique clamat per Legem, per Prophetas, per Psalmos, per Epistolas, per Evangelia. Videte quia non tacet, quia pareit, quia erogat misericordiam; sed cavete, quia venturum est iudicium.

ENARRATIO I

IN PSALMUM CI.

SERMO I.

De prima parte Psalmi.

I. Ecce unus pauper orat¹, et non orat in silentio. Licet ergo audire eum, et videre quisnam sit: ne forte ille sit, de quo dicit Apostolus: « Qui propter vos pauper » factus est, cum dives esset, ut illius paupertate vos » ditaremini². » Si ergo ipse est, quomodo pauper? Nam quomodo dives, quis non videt? Unde enim homines sunt divites? Puto auro, argento, familia, terra: sed, « Omnia per ipsum facta sunt³. » Quid ergo illo ditius, per quem factae sunt divitiae, etiam illae quae non sunt verae divitiae? Per illum enim et illae divitiae, ingenium, memoria, mores, vita, ipsius corporis sanitas, sensus, conformatioque membrorum. Etenim cum haec salva sunt, et pauperes divites sunt. Per illum et illae majores divitiae,

¹ Habitus post anni 405 leges in Donatistas de quibus Serm. II, n. 9. —
² Vide D. Guillon, tom. XXII, pag. 25-29. — ³ 2 Cor. VIII, 9. —
4 Joan. I, 3.

fides, pietas, justitia, charitas, castitas, mores boni. Nemo enim et has habet, nisi per eum qui justificat impium⁴. Ecce quam dives. Quis enim dives, qui habet quod vult alio faciente, an qui facit quod vult et alio habente? Puto quia ditior ille, qui fecit quod habes: quia quod ille habet, tu non habes. Ecce quam dives. In hoc tam divite unde agniture sumus haec verba: « Cinerem sicut » panem manducavi, et potum meum cum fletu misceram⁵. » Huc-ne illae tantae divitiae pervenerunt? Multum illud excelsum, multum hoc abjectum. Quid faciemus? quemadmodum ista ima illis summis contemperabimus? Nimis ab invicem longe sunt. Nondum agnosco istum pauperem; alius est fortasse: sed adhuc quaeramus. Unde enim nobis non videtur ipse, mirum si interrogas et non expavescis divitias: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat » in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, » et sine ipso factum est nihil⁶. » Qui ista dixit, cum diceret, dives erat, quanto magis ille, de quo dicebat: « In » principio erat Verbum: » et non quaecumque Verbum, sed Verbum Deus; et non ubicumque, sed apud Deum; et non vacans, sed, « Omnia per ipsum facta » sunt? » Cinerem sicut panem manducavit, et potum suum cum fletu commiscuit? Metuendum est, ne tantis divitiis nostra paupertas faciat injuriam. Quære adhuc tamen ne ipse sit pauper iste: quoniam, « Verbum caro » factum est, et habitavit in nobis⁷. » Respice et illam vocem: « Ego servus tuus et filius ancillae tuae⁸. » Attende ancillam illam castam, et virginem, et matrem. Ibi enim accepit paupertatem nostram, ubi servi forma indutus est, semetipsum exinaniens, ne divitias ejus expavesceres, et

⁴ Rom. IV, 5. — ² Psal. CI, 10. — ³ Joan. I, 1-3. — ⁴ Ibid. 14. — ⁵ Psal. CXV, 16.

ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Ibi accepit, inquam, formam servi, ibi nostra indutus est paupertate, ibi se pauperavit, ibi nos ditavit. Jam ergo propinquamus de illo hæc intelligere. Verumtamen adhuc non est temere pronuntiandum: partus virginis est, lapis sine manibus de monte præcisus¹, ubi nullus hominum operatus est, nulla transfusa concupiscentia, sed sola fides accensa, et Verbi caro concepta. Deinde processit ex utero; locuti sunt cœli, Angeli pastoribus nuntiaverunt², stella ad adorandum regem Magos traxit³, Simeon impletus Spiritu infantem Deum in matris manibus agnovit. Accessit ætas, non Divinitati, sed carni. Horrent, miranturque sapientiam pueri duodennis, imperiti senes⁴. Aut etiamsi periti senes, quid illorum peritia ad Verbum Dei? quid illorum peritia ad Sapientiam Dei? Nonne et periti, nisi illo subveniente, utique perituri? Crescit adhuc ætate corporis: venit ad fluvium baptizandus⁵; baptizator Deum agnoscit, indignum se solvendæ calceamenti corrigiæ confitetur⁶. Jam inde cæci illuminantur, surdis aperitur auditus, loquuntur muti, mundantur leprosi, stringuntur paralytici, convalescunt languidi, resurgunt mortui⁷.

II. Jam quidem in Verbi illius, per quod facta sunt omnia, comparatione divitiarum agnosco paupertatem: sed quam longe adhuc a cinere et fletu cum potu? Adhuc timeo dicere: Ipse est: et tamen volo. Sunt hic enim quæ me cogant velle, et rursus quædam quæ me cogant timere. Ipse est, et non est ipse. Jam in forma servi est, jam mortalem fragilemque carnem portat, jam moriturus advenit, et tamen nondum intelligitur in hac egestate. « Cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum » fletu miscebam. » Addat ergo paupertatem paupertati,

¹ Dan. ii, 34. — ² Luc. xi, 7-14. — ³ Matth. ii, 1, 2. — ⁴ Luc. ii, 25-47. — ⁵ Marc. i, 7. — ⁶ Matth. iii, 11. — ⁷ Id. xi, 5.

et transfiguret in se corpus humilitatis nostræ¹: sit caput nostrum, simus membra ejus, sint duo in carne una. Jam enim ut primitus pauper esset, formam servi accipiens², dimisit Patrem: quod autem de Virgine natus est, dimittat et matrem, et adhæreat uxori suæ, et sint duo in carne una³. Ita enim erant duo et in voce una, et in illa una voce jam non mirabimur nostram vocem: « Cinerem sicut » panem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam. » Dignatus est enim habere nos membra. Sunt et poenitentes in membris ejus. Non enim exclusi, et separati sunt ab Ecclesia ejus: nec omnino sibi adjungeret conjugem, nisi illa voce, « Agite poenitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum⁴. » Jam ergo audiamus quid oret caput⁵ et corpus, sponsus⁶ et sponsa, Christus et Ecclesia, utrumque unus: sed verbum et caro non utrumque unum; Pater et Verbum utrumque unum; Christus et Ecclesia utrumque unus; unus quidam vir perfectus in forma plenitudinis suæ: « Donec occurramus omnes in » unitatem fidei, in agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi⁷. » Sed donec occurramus, agitur hic paupertas nostra, agitur hic adhuc labor et gemitus. Gratias misericordiæ ipsius. Unde illi labor, unde gemitus Verbo, per quod facta sunt omnia? Si dignatus est habere mortem nostram, non nobis dabit vitam suam? In magnam spem erexit, cum magna spe gemimus. Gemitus habet tristitiam: sed est gemitus, qui habet et gaudium. Ego puto Saram sterilem lætam gemuisse, cum pareret: et nos a timore tuo concepimus et parturivimus spiritum salutis⁸. Audiamus ergo Christum pauperem in nobis, et nobiscum: et propter nos. Titulus enim ipse indicat pauperem. Postremo putate me

¹ Philip. iii, 21. — ² Id. ii, 7. — ³ Ephes. v, 31. — ⁴ Matth. iii, 2. — ⁵ Ephes. iv, 15. — ⁶ Joan. iii, 29. — ⁷ Ephes. iv, 13. — ⁸ Isai. xxvi, 18.

susplicatum quisnam sit iste pauper : orationem audiamus, et personam agnoscamus ; necubi erres, quando audieris aliquid, quod coaptari capiti illius non possit : ideo prælocutus sum, ut quod tale audieris, ex infirmitate corporis advertas sonare, et vocem membrorum agnoscas in capite. « Oratio inopis, » hoc habet titulus : « Cum an- » geretur, et in conspectu Domini effudit precem suam¹. » Ipse ille pauper est, qui alibi dicit : « A finibus terræ ad » te clamavi, cum angeretur cor meum². » Iste ipse pauper est, quia idem ipse Christus est, qui se apud Prophetam, et sponsum dixit, et sponsam : « Sicut sponso, » alligavit mihi mitram ; et sicut sponsam, induit me or- » namento³. » Se dixit sponsum, se dixit sponsam : unde hoc, nisi quia sponsum propter caput, sponsam propter corpus ? Vox ergo una, quia caro una. Audiamus, et potius in his vocibus nos quoque agnoscamus : et si nos extra esse viderimus, ibi esse laboremus.

III. « Exaudi, Domine, orationem meam, et clamor » meus ad te perveniat⁴. » Hoc est, « Exaudi, Domine, » orationem meam, » quod est, « Clamor meus ad te » perveniat. » In geminatione affectus petentis est. « Ne » avertas faciem tuam a me⁵. » Quando Deus a Filio ? quando Pater a Christo ? Sed propter membrorum paupertatem, « Ne avertas faciem tuam a me. In quacumque » die tribulor, inclina aurem tuam ad me. » Tribulor enim deorsum, tu autem es sursum. Si me extollo, longe fis : si me humilio, inclinas aurem tuam ad me. Sed quid est, « In quacumque die tribulor ? » Nunc enim non tribulatur ? Aut ista diceret, nisi tribularetur ? Sufficeret ergo, Inclina aurem tuam ad me, quoniam tribulor. « In » quacumque die tribulor, inclina aurem tuam ad me. »

¹ Psal. CI, 1. — ² Id. LX, 3. — ³ Isaï. LXI, 10. — ⁴ Psal. CI, 2. — ⁵ Ibid. 3.

Tanquam unitas corporis : si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra¹. Tribularis tu hodie, ego tribulor : tribulatur alius crastino, ego tribulor : post istam generationem alii posteri, qui succedunt posteris, tribulantur, ego tribulor : usque in finem sæculi, quicumque in meo corpore tribulantur, ego tribulor. « In » quacumque ergo die tribulor, inclina aurem tuam ad » me. In quacumque die invocavero te, cito exaudi me. » Hoc idem est. Jam nunc invocabo : sed, « In quacumque » die invocavero te, cito exaudi me. » Oravit Petrus, oravit Paulus, oraverunt cæteri Apostoli ; oraverunt fideles temporibus illis, oraverunt fideles consequentibus temporibus, oraverunt fideles Martyrum temporibus, orant fideles nostris temporibus, orabunt fideles posterorum temporibus : « In quacumque die invocavero te, cito exaudi » me. Cito exaudi : » jam enim hoc rogo, quod dare vis. Non terrena quasi terrenus, sed ex prima captivitate jam redemptus, regnum cœlorum desidero ; « Cito exaudi » me : » non enim nisi tali desiderio dixisti : « Adhuc te » loquente dicam : Ecce adsum². In quacumque die in- » vocavero te, cito exaudi me. » Unde invocas ? de qua tribulatione ? de qua egestate ? O pauper ante januam divitis Dei, quo desiderio mendicas ? qua inopia requiris ? qua egestate pulsas, ut aperiatur tibi ? Dic, audiamus ipsam egestatem, in illa et nos ipsos inveniamus, et tecum rogemus. Audi, et agnosce, si potes.

IV. « Quia defecerunt sicut fumus dies mei³. » O dies ! si dies : ubi enim dies auditur, lux intelligitur. « Sed, de- » fecerunt sicut fumus dies mei. Dies mei. » Tempora mea : unde « Sicut fumus, » nisi propter elationem superbiam ? Tales dies dignus fuit accipere superbus Adam, unde carnem Christus accepit. Ergo in Adam Christus, et

¹ I Cor. XII, 26. — ² Isaï. LVIII, 9. — ³ Psal. CI, 4.

Adam in Christo. Liberavit profecto et a diebus fumi, qui dignatus est habere vocem dierum fumi. « Quia defecerunt sicut fumus dies mei. » Videte fumum superbiæ similem, ascendentem, tumescentem, vanescentem: merito ergo deficientem, non utique permanentem. « Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut in fruxorio confixa sunt. » Et ipsa ossa mea, et ipsa fortitudo mea, non sine tribulatione, non sine ustione. Ossa corporis Christi, fortitudo corporis Christi, ubi major quam in sanctis Apostolis? Et tamen vide ossa frigi: « Quis scandalizatur, et non ego uror¹? » Fortes sunt, fideles, boni intellectores et prædicatores verbi, viventes ut loquuntur, loquentes ut audiunt: fortes plane sunt, sed omnes qui scandala patiuntur, fruxorium ipsorum sunt. Est enim ibi charitas, et magis in ossibus. Interiora sunt ossa omnibus carnibus, et portant omnes carnes. Verum si quisquam patiatur aliquod scandalum, et in anima periclitetur; tantum os frigitur, quantum amat. Desit amor, nemo frigitur: adsit charitas, et si membrum compatitur, patiente uno membro, quomodo friguntur qui portant universa membra²? « Ossa mea sicut in fruxorio confixa sunt. »

V. « Percussum est sicut fœnum, et aruit cor meum³. » Respice ad Adam, unde genus humanum. Unde enim nisi ab illo propagata miseria est? Unde enim nisi ab illo hæreditaria ista paupertas? Dicat ergo cum spe jam in corpore Christi positus, ille aliquando in suo corpore desperatus, « Percussum est sicut fœnum, et aruit cor meum. » Merito, quia omnis caro fœnum⁴. Sed tamen unde tibi hoc contigit? « Quoniam oblitus sum manducare panem meum. » Dederat enim Deus panem præcepti. Nam panis animæ quid, nisi verbum Dei? Suggestente serpente, præ-

¹ 2 Cor. xi, 29. — ² Id. xii, 20. — ³ Psal. ci, 5. — ⁴ Isaï. xl, 6.

varicante muliere, tetigit vetitum¹, oblitus est præceptum. Merito percussum est sicut fœnum, et aruit cor ejus, quoniam oblitus est manducare panem suum. Oblitus manducare panem, bibit venenum: percussum est cor ejus, et aruit sicut fœnum. Ipse est ille percussus in Isaïa, de quo dicitur, et cui dicitur: « Non in æternum tempus irascar vobis: spiritus enim a me procedit, et omnem flatum ego feci: propter peccatum modicum quid contristavi illum, et percussi illum, et averti faciem meam ab illo. » Merito hic, « Ne avertas faciem tuam a me: » hoc est, a percusso, de quo dixisti, « Percussi illum: » de quo dixisti, « Vias ejus vidi, et sanavi eum². Percussum est sicut fœnum, et aruit cor meum, quoniam oblitus sum manducare panem meum. » Modo manduca quem oblitus eras. Sed venit et ipse panis, in cujus corpore tibi licet recordari vocem oblivionis tuæ, et clamare ex paupertate, ut sumas divitias. Modo manduca: in ejus enim corpore es, qui ait: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi³. » Oblitus eras manducare panem tuum: sed jam illo crucifixo, commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ⁴. Post oblivionem veniat commemoratio, manducetur panis de cœlo, ut vivatur; non manna, sicut illi manducaverunt et mortui sunt⁵: panis de quo dicitur, « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam⁶. »

VI. « A voce gemitus mei adhæserunt ossa mea carni meæ⁷. » A voce quam intelligo, a voce quam novi: « A voce gemitus mei, » non a voce gemitus illorum, quibus compatior. Multi enim gemunt, gemo et ego; et hoc gemo, quia male gemunt. Amisit nummum, gemit: amisit fidem, non gemit. Ego appendo nummum et fidem, et

¹ Gen. iii, 6. — ² Isaï. lvii, 16-18. — ³ Joan. vi, 41. — ⁴ Psal. xxi, 28. — ⁵ Joan. vi, 49. — ⁶ Matth. v, 6. — ⁷ Psal. ci, 6.

invenio majorem gemitum de male gemente, aut non gemente. Facit fraudem, et gaudet. Quo lucro? quo damno? Acquisivit pecuniam, perdidit justitiam. Gemit hinc qui gemere novit: qui capiti propinquat, qui¹ recte hæret corpori Christi, gemit inde. Carnales autem non inde gemunt, et gemendos se faciunt, quia non inde gemunt: nec eos possumus, vel non gementes, vel male gementes contemnere. Volumus enim eos corrigere, volumus emendare, volumus reparare: et quando non possumus, gemimus; et cum gemimus, non ab ipsis separamur. « A » voce enim gemitus mei adhæserunt ossa mea carni » meæ. » Adhæserunt fortes invalidis, adhæserunt firmi infirmis. Unde adhæserunt? A voce gemitus sui, non a voce gemitus illorum. Qua lege adhæserunt, nisi qua dictum est, « Debemus enim nos firmi infirmitatem » infirmorum portare²? Adhæserunt ossa mea carni » meæ. »

VII. « Similis factus sum pelicano, qui habitat in solitudine; factus sum sicut nycticorax in parietinis. Vigilavi, et factus sum sicut passer, singularis in tecto³. » Ecce tres aves, et tria loca, quid sibi velint, donet Dominus ut dicamus, et ut audiatis utiliter quod dicitur salubriter. Quid sibi volunt tres aves, et tria loca? Quæ tres aves? Pelicanus, nycticorax, et passer: et tria loca, solitudo, parietinæ, et tectum. Pelicanus in solitudine, nycticorax in parietinis, passer in tecto. Primo quid sit pelicanus, dicendum est. In ea quippe regione nascitur, ut nobis ignota hæc avis sit. Nascitur in solitudinibus, maxime Nili fluminis, in Ægypto. Quælibet sit avis hæc, quod de illa Psalmus dicere voluit, hoc intueamur. « Habitat, inquit, in solitudine. » Quid quæris formam ejus, membra ejus, vocem ejus, mores ejus? Quantum tibi Psalmus di-

¹ Forte stricte. — ² Rom. xv, 1. — ³ Psal. cx, 7, 8.

cit, avis est habitans in solitudine. Nycticorax, avis est amans noctem. Parietinæ dicuntur, quas vulgo dicimus ruinas, ubi parietes stant sine tecto, sine habitantibus: ibi habitat nycticorax. Jam vero passer et tectum quid sit, nostis. Invenio ergo aliquem de corpore Christi, prædicatorem verbi, compatiens infirmis, quærentem lucra Christi, reminiscens Domini sui venturi, ne dicat, « Serve nequam et piger, dares pecuniam meam nummulariis¹. » Ex hujus dispensatoris officio videamus hæc tria. Venerit inter aliquos ubi Christiani non sunt; pelicanus est in solitudine: venerit ad eos qui fuerunt et ceciderunt, nycticorax est in parietinis; non enim deserit et tenebras eorum qui habitant in nocte; et ipsos lucrari vult: venerit ad eos qui Christiani sunt quidem habitantes in domo, non quasi qui non crediderint, aut quod crediderant dimiserint, sed in eo quod credunt tepide ambulantes; clamat ad eos passer, non in solitudine, quia Christiani sunt; nec in parietinis, quia non ceciderunt; sed tamen in tecto sunt; sub tecto potius, quia sub carne sunt. Ille super carnem clamat passer, præcepta Dei non tacet, nec fit carnalis, ut subjiciatur tecto. « Qui enim in » tecto est, non descendat tollere aliquid de domo²: » et, « Quod in aure auditis, prædicate super tecta³. » Istæ tres aves et tria loca, et unus homo potest habere personam trium avium, et tres homines possunt habere personam trium avium; et tria genera locorum, tria genera sunt hominum: tamen solitudo, parietinæ, et tectum, non nisi tria genera hominum sunt.

VIII. Sed quid de his plurimum? Ipsum Dominum videamus, ne forte ipse sit, et melius ipse agnoscat, et pelicanus in solitudine, et nycticorax in parietinis, et passer singularis in tecto. Dicat nobis pauper iste, caput nos-

¹ Matth. xxvii, 26. — ² Id. xxiv, 17. — ³ Id. x, 27.

trum; pauper voluntate, loquatur pauperibus in necessitate. Quod enim dicitur, vel etiam legitur de hac ave, id est, pelicano, non taceamus, non aliquid affirmantes temere; sed tamen non tacentes, quod qui scripserunt, et legi et dici voluerunt. Vos sic audite, ut si verum est, congruat; si falsum est, non teneat. Dicuntur hæ aves tanquam colaphis rostrorum occidere parvulos suos, eosdemque in nido occisos a se lugere per triduum: postremo dicunt matrem se ipsam graviter vulnerare et sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi reviviscunt. Fortasse hoc verum, fortasse falsum sit: tamen si verum est, quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit sanguine suo, videte. Congruit illi quod matris caro vivificat sanguine suo filios suos; satis congruit. Nam et ipse gallinam se dicit super pullos suos: « Jerusalem, Jerusalem, quousque volui congregare filios tuos tanquam gallina pullos suos sub alas suas, et noluisti? » Habet enim paternam auctoritatem, maternum affectum: sicut et Paulus et pater est et mater est; non per se ipsum, sed per Evangelium: pater ubi dicit, « Etsi habeatis multos » pædagogos in Christo, sed non multos patres; in Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui²: » mater autem ubi ait, « Filioli mei, quos iterum parturio, donec » Christus formetur in vobis³. » Habet ergo hæc avis, si vere ita est, magnam similitudinem carnis Christi, cujus sanguine vivificati sumus. Sed quomodo congruat Christo, quod ipsa occidit filios suos? An et illi non congruit, « Ego occidam, et ego vivificabo; ego percutiam, et ego » sanabo⁴? » An vero Saulus persecutor moreretur, nisi de cælo percuteretur⁵; aut prædicator excitaretur, nisi illius sanguine vivificaretur? Sed hoc viderint qui scripse-

¹ Matth. xxiii, 37. — ² 1 Cor. iv, 15. — ³ Gal. iv, 19. — ⁴ Deut. xxii, 39. — ⁵ Act. ix, 4.

serunt; non in incerto intellectum nostrum constituere nos debemus. Hanc avem potius in solitudine agnoscamus; hoc enim inde Psalmus voluit ponere, « Pelicanus in solitudine. » Puto ego hic intelligi Christum natum de Virgine. Solus enim sic, ideo solitudo: in solitudine natus, quia solus ita natus. Post nativitatem ventum est ad passionem: a quibus crucifigebatur? numquid ab stantibus? numquid a lugentibus? Ergo tanquam in nocte ignorantiae ipsorum, et tanquam in parietinis ruinæ ipsorum. Ecce nycticorax et in parietinis, amat et noctem. Nam nisi amaret, unde diceret: « Pater, ignosce illis, quia » nesciunt quid faciunt! » Deinde natus in solitudine, quia solus ita natus; passus in tenebris Judæorum tanquam in nocte, in prævaricatione tanquam in ruinis: quid postea? « Vigilavi, » Ergo dormieras in parietinis, et dixeras, « Ego dormivi. » Quid est, « Ego dormivi? » Quia volui, dormivi; noctem amando dormivi: sed ibi sequitur, « Et exurrexi. » Ergo hic « Vigilavi. » Sed postquam vigilavit, quid egit? Ascendit in cælum, factus est « Sicut passer » volando, id est, ascendendo: « Singularis in tecto, » id est, in cælo. Ergo pellicanus nascendo, nycticorax moriendo, passer resurgendo: ibi in solitudine, velut solus; hic in parietinis, velut ab eis occisus, qui stare non potuerunt in ædificio; hic vero jam vigilans et volans singularis in tecto, ibi interpellat pro nobis³. Caput enim nostrum passer est, corpus illius turtur. « Etenim passer invenit sibi domum. » Quam domum? In cælo est, interpellat pro nobis. « Et turtur nidum » sibi, » Ecclesia Dei nidum de lignis crucis ipsius; « Ubi » ponat pullos suos⁴, » parvulos suos. « Vigilavi, et factus » sum sicut passer singularis in tecto. »

IX. « Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui

¹ Luc. xxiii, 34. — ² Psal. iii, 6. — ³ Rom vii, 34. — ⁴ Psal. lxxxiii, 4.

» laudabant me, adversus me jurabant¹. » Ore laudabant, corde insidias præparabant. Audi laudem ipsorum. « Magister, scimus quia viam Dei in veritate doces, et per sonam non accipis: licet tributum dare Cæsari²? » Quem laudas, supplantas. Quare, nisi quia « Qui laudabant me, adversus me jurabant? » Unde autem hoc opprobrium, nisi quia veni facere membra mea peccatores, ut agendo pœnitentiam sint in corpore meo? Inde totum opprobrium, inde persecutio: « Quare magister vester cum peccatoribus et publicanis manducat? Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus³. » Utinam vos ægrotare nossetis, ut medicum quæreretis; non occideretis, et per superbam dementiam falsa sanitate periretis.

X. Mihi autem unde tota die exprobrabant inimici mei? Ude qui laudabant me, adversus me jurabant? « Quoniam cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu misecebam⁴. » Quia hæc genera hominum habere in suis membris sananda voluit et liberanda, inde opprobrium. Hodieque Paganorum opprobrium quale in nos est? Quid putatis, fratres, quid eos putatis dicere nobis? Vos corrumpitis disciplinam, moresque generis humani pervertitis. Quid inveneris? dic quamobrem: quid fecimus? Dando, inquit, hominibus pœnitentiæ locum, promittendo impunitatem omnium delictorum: ideo homines mala faciunt, securi quod eis, cum conversi fuerint, omnia dimittuntur. Hinc ergo opprobrium, « Quoniam cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu misecebam. » O qui insultas, invito te ad istum panem. Non enim audes te dicere non esse peccatorem. Discute conscientiam tuam, ascende tribunal mentis tuæ, noli tibi parcere, examina te, loquatur tibi medulla cordis,

¹ Psal. ci, 9. — ² Matth. xxii, 16, 17. — ³ Id. ix, 11, 12. — ⁴ Psal. ci, 10.

vide utrum audeas innocentiam profiteri. Hic plane si se respexerit, conturbabitur: si se non palpaverit, confitebitur. Et quid agis miser, si non erit portus impunitatis? Si sola fuit peccandi licentia, et nulla peccatorum est indulgentia, ubi eris? quo ibis? Certe et pro te factum est, ut pauper iste cinerem sicut panem manducaret, et potum suum cum fletu misceret. Non te jam delectat tale convivium? Sed tamen, inquit, augent homines peccata spe veniæ. Imo auferent peccata desperatione veniæ. Nonne attendis quam licentiosa crudelitate vivant gladiatores? Unde hoc, nisi jam tanquam ad ferrum et victimam destinati, explere volunt libidinem, antequam fundant sanguinem? Nonne et tu hoc tibi dices: Jam peccator sum, jam iniquus, jam damnandus, nulla veniæ spes est; cur jam non faciam quidquid libet, etsi non licet? Cur non impleam, quantum possum, quæcumque desideria, si post hæc non restant nisi sola tormenta? Nonne hoc tibi dices, et desperatione ipsa pejor fieres? Potius ergo te corrigit, qui indulgentiam promittit, et dicit: « Redite prævaricatores ad cor¹. Nolo mortem impiii, quantum ut revertatur, et vivat². » Hoc procul dubio portu proposito, deponis vela iniquitatis, convertis proram, velificas ad justitiam, et sperans vitam, non negligis medicinam. Nec in hoc tibi displiceat Deus, tanquam per istam indulgentiæ promissionem securos fecerit peccatores. Etenim ne desperatione homines pejus viverent, promisit indulgentiæ portum: rursus, ne spe veniæ pejus viverent, fecit diem mortis incertum: providentissime utrumque constituens, et revertentes quo recipiantur, et differentes unde terreantur. Manduca cinerem velut panem, et fletum tuum cum potu misce: per hoc convivium venies ad mensam Dei. Noli desperare; promissa est indulgentia tibi.

¹ Isai. xlvi, 8. — ² Ezech. xxxiii, 11.

Deo gratias, inquit, quia promissa est; teneo promissum Dei. Ergo jam bene vive. Cras, inquit, bene vivam. Indulgentiam tibi Deus promisit; crastinum diem tibi nemo promisit. Si male vivisti, bene vive jam hodie. « Stulte, » hac nocte auferetur a te anima tua. » Non dico, « Quæ » præparasti, cujus erunt¹? » sed, Secundum quod vixisti, ubi eris? Corrige ergo te, ut possis in corpore Christi habere vocem istam, quam, nisi fallor, libenter agnoscis: » Quoniam cinerem sicut panem manducavi, et potum » meum cum fletu miscebam. »

XI. « A facie iræ tuæ et indignationis tuæ, quoniam » levasti, elisisti me². » Ipsa est illa ira tua, Domine, in Adam; ira cum qua omnes nati sumus, cui nascendo cohaesimus; ira de propagine iniquitatis, ira de massa peccati: secundum quam dicit Apostolus: « Fuimus et » nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri³: » et unde dicit Dominus: « Ira Dei manet super eum, quia » non credidit in unigenitum Filium Dei⁴. » Non enim ait, Ira Dei veniet super eum; sed, « Manet super eum: » quia non tollitur in qua natus est. Quare ergo, et quid sibi vult vox ista, « Quoniam levasti, elisisti me? » Non enim ait, Quoniam levasti, et elisisti me; sed, « Quoniam » levasti, elisisti me. » Ideo elisisti, quia levasti. Unde hoc? Homo in honore positus, factus est ad imaginem Dei⁵: levatus in hunc honorem, erectus a pulvere, erectus a terra, accepit: animam rationalem, præpositus est rationis ipsius vivacitate omnibus bestiis, pecoribus, volatilibus, piscibus. Quid enim horum habet intelligentiæ rationem? Quia nullum horum factum est ad imaginem Dei. Quomodo nullum horum habet hunc honorem, sic nullum horum habet hanc miseriam. Quod enim pecus

¹ Luc. vii, 20. — ² Psal. ci, 11. — ³ Ephes. ii, 3. — ⁴ Joan. iii, 36. — ⁵ Gen. i, 26.

plangit de peccato? quæ avis timet gehennam ignis æterni? Quia nulla ei participatio beatæ vitæ, nulli stimuli miseriarum. Homo autem, quia factus est qui sit in beata vita, si bene vixerit; ideo erit in misera vita, quia male vixit. Ergo, « Quia levasti, elisisti me: » ideo sequitur me pœna, quia dedisti mihi liberum arbitrium. Si enim mihi non dedisses liberum arbitrium, et per hanc rationem pecoribus me non faceres meliorem, non me sequeretur damnatio justa peccantem. Ergo per arbitrium liberum levasti me, et per justitiæ iudicium elisisti me.

XII. « Dies mei sicut umbra declinaverunt¹. » Potuerunt enim esse dies tui non declinantes, si tu a die vero non declinasses: declinasti, et accepisti dies declinantes. Quid mirum, si dies tui facti sunt similes tui? Ipsi sunt enim dies declinantes, quia deviasti, qui sunt dies fumi, quia timuisti. Supra enim dixerat, « Defecerunt sicut fumus dies mei: » et nunc dicit, « Dies mei sicut umbra » declinaverunt. » In hac umbra agnoscendus est dies, in hac umbra videnda est lux; ne postea sera et infructuosa pœnitentia dicatur: « Quid nobis profuit superbia? » et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra². » Modo dic; Transibunt omnia tanquam umbra, et tu non transeas tanquam umbra. « Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego velut » fœnum arui. » Quia et supra dixerat, « Percussum est » sicut fœnum, et aruit cor meum. » Sed revirescet fœnum, irrigatum sanguine Salvatoris. « Ego sicut fœnum arui: » ego homo, post illam prævaricationem; hoc ego justo iudicio tuo: tu autem quid?

XIII. « Tu vero, Domine, in æternum manes³. » Mei dies sicut umbra declinaverunt, et tu in æternum manes: temporalem salvet æternus. Non enim quia ego cecidi,

¹ Psal. ci, 12. — ² Sap. v, 8. — ³ Psal. ci, 13.